Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

FEBRIBVS

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

GVILIELMO HENRICO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE WESTPHALIAE ET RELIQVA

PRÆSIDE

IOANNE ADOLPHO WEDELIO

PHILOS. ET MED. DOCTORE THEORETICES PROF. PVBL. ORD.
CONSIL. ET ARCHIATRO DVC. SAXONICO

PATRONO PRÆCEPTORE AC PROMOTORE COLENDISSIMO
HOSPITE PERQVAM GRATIOSO

PRO LICENTIA

SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORALIA
MORE MAIORVM RITE CONSEQVENDI
PVBLICO ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBIECIT

SAMVEL ARNOLD

LIS. POL.

AD D. MART. M DCC XXIII.

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM STATIS L. C.

IENAE LITTERIS RITTERIANIS.

I. N. I.

VAriæ ac diſcrepantes de rebus medicis ſententiæ indignos arcent ab hisce ſacris, eos vero, qui ex re philoſophantur, in veritate magis confirmant.

Illi enim, iudicium adhibere neſcientes, quod alii proponunt, ratum habere coguntur; vnde dubii ſic euadunt, cuinam aſſenſionem præbeant, cum contrarii ſibi ſint, vel certe videantur.

Hi autem ea, quæ recta dicta ſunt, iudicare, minus recte dicta vero declarare, diſcunt, adeoque ſemper eligunt, quæ rebus ipſis conſentiunt, & deprehendunt, verbis diſcrepare, re autem conuenire, quamplurimos.

Inſigne huius rei exemplum præbent febres, quæ diuerſimode explicantur; imo a quibusdam e morborum claſſe plane reiiciuntur, & pro ſalutari naturæ actu vel conatu habentur.

Has itaque ſpeciminis inauguralis loco, cum malum ſint frequentiſſimum, conſiderabimus, tentaturi, an eluctari ex diſſentientibus liceat opinionibus. Adſit conatibus noſtris benigniſſimum Numen, vt ea proferamus, quæ in eius gloriam, aliorumque vergant emolumentum!

§. I.

FEbris nomen iuxta quosdam in quibus etiam eſt *Caſparus Hoffmannus Inſtit. Med. Libr. III. p. 12.* a fe-bruo vel februis, Romanorum feſto, ortum habet, alii vero a ferueo vel ferbeo deriuant, vt ſic *febris*, prout Hoffmannus c. l. loquitur, *ſit quaſi ignis purgatorius corporum.* Græci πυρετὸς vocatur ἀπὸ τοῦ πῦρ ignis, imo πῦρ Hippocrati febris ardens dicitur. Hæc nomina potisſimum ob calorem eminentem fuere adhibita. Vnde *Hippocrates Libr. I. de morb. cap. XXII. t. 2. 3. cum bilis*, inquit, *aut pituita calefacta fuerit, totum reliquum corpus ab his caleſcit, & vocatur hoc febris.*

§. II.

Eſt autem febris intemperies calida totius corporis a fermento rarefactiuo, ſalino ſulphureo, inæquali, in maſſa ſanguinea proueniens, & varia ſymptomata producens. Intemperies genus febris conſtituit, & generatim illum morbum notat, qui in ſanguinis & ſeri proportione, quam ad ſe inuicem ratione quantitatis & qualitatis habent, vitiata conſiſtit, & actiones lædit. Quoniam autem proportio vitiata diuerſa eſt, & in ſenſus haud incurrit, effectus eiusdem huic reſpondens, & ſenſibus manifeſtus in ſubſidium vocatur, atque ab huius diuerſitate, illius varietas & cognoſcitur & denominatur. Sanguinis autem præcipua manifeſta qualitas eſt calor, ſeri vero humiditas; vnde mutatio in his facta vitioſa vitioſam quoque intemperiem agnoſcit & deſignat. Adeoque a calore vitioſe aucto intemperies calida, ab eodem magis, quam par eſt, depreſſo intemperies frigida, ab humiditate eminentiori intemperies humida, ab eadem nimis de-

ficien-

ficiente intemperies ſicca dicitur. In febri itaque cum calor præternaturam auctus eſſentiale atque præcipuum ſymptoma ſit, ad intemperiem calidam illa pertinet.

§. III.

Calor itaque effectus ſeu ſymptoma febris eſt, non ipſa febris, quæ ad morbos pertinet. Nec alia mens eſt eorum, qui febrim calorem efferatum in toto vocant, non enim negant intemperiem, calorem hunc efficientem, ſed ſupponunt. Qui vero ideo febrim intemperiem eſſe negant, quia eadem temperatiſſima ſubiecta corripiuntur, tunc iure id facere poterunt, ſi probauerint, temperatiſſima illa ſubiecta, ſi febris acceſſerit, permanſiſſe temperatiſſima. Alii autem morbos intemperiei penitus negant, ac, capi haud poſſe, affirmant. Verum, dum exiſtimant, partium ſimilarium ſolidarum, vt ſolidarum, morbum eſſe intemperiem, ſentire haud aliter poſſunt. Sed hæc ſententia nec veterum nec aliorum eſt. Intemperies enim proprie eſt partium fluidarum; ſolidæ vero ſi dicuntur laborare morbo intemperiei, vnice harum ratione ita dicuntur. Solidæ enim partes ſolo intuitu harum fluidarum, ſanguinis & ſeri, dicuntur temperatæ vel intemperatæ.

§. IV.

Quidam genuinum hoc febris genus non cognoſcentes, vel haud admittentes, eiusdem ſymptoma aliquod generis loco ponunt, vnde vel motum ſpirituum præternaturalem, vel turbatam & inæqualem ſanguinis circulationem, vel velociorem cordis contractionem cum aucta reſiſtentia ad capillaria febrim vocant. Hi autem nobis haud adeo contrarii ſunt, ac videntur, vel videri volunt, ſi rem ipſam magis conſideremus. Spiritus enim, cum nihil aliud ſint, quam partes maſſæ ſanguineæ

 ſubti-

subtiliores, sanguinis constitutione mutata, necessario etiam mutantur, adeoque alium motum recipiunt. Motus igitur horum præternaturalis in febri intemperiei debetur. Circulationis sanguinis mutatio, quæ in febri occurrit, præsente intemperie tantum adest, vnde huius symptoma est. Quæ vero circulatio inæqualis putatur tempore frigoris & horroris, & postmodum sub tempore caloris, ab intestino potius sanguinis motu, ibi imminuto hic vero aucto, quam a progressiuo, prouenit, qui itidem intemperiem pro fundamento habet. Nec velocior cordis contractio, nisi a sanguinis foueatur intemperie, febrilis est, vti a motu externo citatiori aliisque fieri solet, absque febris præsentia. Aucta vero resistentia ad capillaria, cui frigus, rigor, horror tribuitur, asserta quidem, sed probata non est. Haud enim stagnant tum humores sanguinei in extremis vasculis, pulsus enim testatur progredi, &, si pulsu cordis continuato, stagnarent, tumor appareret, cum affluxus fieret maior, refluxus vero minor. Sed hoc non fit. Alia ergo causa, horroris & frigoris est febrilis. Et si vel maxime hæc causa esset genuina, non tamen persisteret sine intemperie.

§. V.

Magis adhuc a nobis recedere videntur, qui cum *Thom. Campanella Medicinal. L. IV. cap. III. part. VI. artic. I. §. 1. existimant, febrem esse spiritus irritati feruorem contra morbificas causas pugnantis, ideoque calorem & motum augentis, quo possit eas attenuare, dissoluere & expellare*, vel prout *Libr. VII. cap. I. art. II. §. XI.* definit, eam *spontaneam extraordinariam spiritus agitationem inflammationemque ad pugnam contra irritantem morbificam causam esse: quam sic calefaciat, agitet digerat-*

geratque, reddatque expulsioni aptam, vel extinctioni vel meliorationi, adeoque cum eodem §. *I. huius artic.* arbitrantur, *febrem non esse morbum, sed bellum contra morbum*, vel, vt *ibid. cap. II. artic. I. §. I.* explicat, *nullam febrem esse morbum, sed remedium contra morbos.* Quibus haud valde dissimilia sunt, quae ab *Helmontio* proferuntur, quod patebit, si reliqua a Campanella allata perlegere quis velit. Verum si bellum contra morbum est febris, quodnam nomen habet ille morbus? Hunc autem nos cum veteribus vocamus febrim, ast morbus & bellum contra eundem morbum idem nomen habere haud potest, multo minus eandem essentiam. Consultum autem non est, nomina temere mutare, cum, si cuilibet liberum id sit, obscuritas & confusio inde oriatur. Feruor vero spiritus irritati, cum a morbo, intemperie nempe calida vel febri, dependeat, symptoma erit, adeoque reuera ad ea pertinet, quae in praecedente paragrapho recensuimus. Ex dicendis autem manifestum euadet, spirituum motum tali intemperie praesente necessario maiorem reddi, caloremque sic augeri, minime vero spiritus ex libera quadam actiuitate, & cognitione periculi a causa morbifica imminentis, excitare calorem, motumque augere, vt causam morbificam attenuet, dissoluat & expellat.

§. VI.

Parum ab his recedunt, qui febrim salutarem naturae actum, vel principii vitalis salutare conamen, quo motibus secretoriis & excretoriis, vltra gradum naturalem auctis, vt plurimum tamen satis proportionatis, morbiferam aliquam materiam siue praeoccupare siue remouere intendat, appellant, nisi quod spiritibus vitalibus, quos negant, animam rationalem substituant, quam per naturam & prin-

principium vitale intelligunt. Sed & hi quoque agnoſcunt materiam morbiferam, adeoque & morbum concedere debent, alias enim illa haud eſſet morbifera. Quisnam vero eſt ille morbus, ſi non eſt febris? ſi autem hic a veteribus recte vocatus fuit febris, cur hoc nomen tribuitur actionibus naturalibus in febri reſiduis? methodica enim adminiſtratio ſecretoria & excretoria ante febrem iam adeſt,&, febri ſuperata, etiam permanet, adeoque fit quidem in febri, ſed non eſt febris, niſi nomen febris promiſcue & pro lubitu aliis imponere velimus.

§. VII.

Cum itaque veteres, qui nomen febris primum adhibuerunt, per febrim haud ſymptoma, nec actum vel conatum naturæ vel principii vitalis, ſed morbum intellexerint, & quidem intemperiei calidæ, nemo vitio nobis vertet, quod veſtigiis illorum, cum rei ipſi congrua ſint, inſiſtamus. Adeſſe vero vitiatam ſanguinis & ſeri proportionem, ex eo manifeſtum eſt, quod omnes materiam morbificam in maſſa ſanguinea agnoſcant, hæc vero cum ſit morbifica, neceſſario proportionem eius decentem lædit. Proportione vero eiusdem læſa, non decenti modo ſe inuicem partes eandem conſtituentes temperant, adeoque intemperies adeſt, & quidem hoc loco calida. Calidam vero vocamus, cum, ea præſente, calor auctus adſit, quem etiam omnes deprehendunt, licet nondum iam oſtenſum ſit, intemperies eundem calorem auctum efficiat, an ab alia cauſa, vt materia hæc intemperiem inducens ſecernatur & excernatur, calor vehementior excitetur, adeoque intemperies ſaltim cauſa occaſionalis ſit. Atque in hoc potiſſima diſſenſus ratio conſiſtit. Nos enim affirmamus, intemperiem febrilem, vtpote morbum, motum

ſpiri-

ſpirituum præternaturalem, calorem maiorem, velociorem cordis contractionem i. e. pulſum celerem, aliaque plura ſymptomata efficere. Diſſentientes autem, omnia hæc vel a ſpiritu vitali, vel ab anima rationali, ea intentione inſtitui, vt cauſa morbifera expugnetur, contendunt. Sed hæc inferius conſiderabimus.

§. VIII.

Quoniam autem haud quælibet intemperies calida febris eſt, differentiæ reliquæ addendæ erunt ſpecificæ. Ex his quoque ſubiectum eſt, quod totum corpus exiſtit. Omnes enim partes in febri afficiuntur, vt ſic vniuerſalis ſit intemperies, datur enim etiam intemperies calida particularis, quæ inflammatio vocatur, quando in parte ſaltim hæret. Conſtat autem corpus ex partibus ſolidis & fluidis, ſolidæ vero vnice intuitu fluidarum, vt in ſtatu naturali temperatæ, ita in præternaturali intemperatæ dicuntur, adeoque principale ſubiectum exiſtit maſſa ſanguinea, &, cum hæc in corde & vaſis immediate hæreat, hasque partes primario afficiat, ideo etiam ex ſolidis hæ partes primario ſubiectum vna conſtituunt. Cauſa quidem febris in parte quadam aliquando reſidet, tanquam in foco, ſed nunquam febrim efficit, niſi ad maſſam ſanguineam acceſſerit, adeoque hæc genuina & principalis febris ſedes eſt.

§. IX.

Vlterius differentia ſpecifica requiritur, quæ febrim ab aliis intemperiei calidæ vniuerſalis morbis, vti eſt ſcorbutus, mania &c. diſcernit, & hæc deſumpta eſt in definitione a cauſa mediata proximiori. Eſt autem hæc fermentum rarefactiuum ſalino-ſulphureum inæquale. Maluimus autem hanc cauſam in definitione recenſere, cum &

immediata ex hoc facile intelligi queat, & in curatione hæc maxime respici debeat. Vti vero in aliis, ita maxime in medicina, scire est rem per causam cognoscere. Vnde nihil vtilius est, quam affectus morbosos ad causas suas genuinas reducere. Is enim saltim curationem rite præstabit, quem causa morbi haud fefellit. Initium autem faciemus a causa immediata, vt nexus causarum omnium sibi constet.

§. X.

Immediata febrium causa est proportio massæ sanguineæ ita vitiata, vt partes salino-sulphureæ fermentatiuæ & rarefactiuæ inæquales in ea emineant, & fermentationem peregrinam citent. Quoniam vero hæc vitiata proportio per fermentationem se exerit, & cognoscitur, ideo quidam affirmant, fermentationem hanc causam immeditam febrium esse, id nominantes, quod magis manifestum est, & proportionem illam subintelligentes, cum sine hac haud fieret fermentatio. Sed denuo hic fermentationis nomen quosdam offendit, existimantes, fermentationem proprie dictam nullo modo locum habere posse in sanguine, cum requisita ad fermentationem necessaria ipsi desint. Quis autem negare poterit, salia tam acida quam alcalica, sulphurque in sanguine adesse? hæc autem sunt requisita fermentationis materialia. Proportionem autem horum eam induci posse sanguini, cum fluidum corpus sit, & in motu intestino, naturali tamen, constitutum, vt motus hic intestinus præternaturalis sequatur, dubitandi rationem non videmus. Neque enim in sanguine gelatinosa ac mucosa reperiunda substantia fermentationem magis impedire valet, quam viscidum musto inhærens. Spiritus inflammabilis productio per fermentatio-

nem

nem haud vniuersalis effectus fermentationis est, sed in quibusdam vegetabilibus saltim, vnde a particulari ad vniuersale minus recte concluditur, si ideo quis fermentationem in sanguine haud adesse posse, sibi persuadeat, quod nullus inde parari queat spiritus inflammabilis, cum talis, nec ex aceto, vt tali, obtineatur, quod tamen itidem per fermentationem fit. Sanguinis motus celerior & per vasa minora transitus quod resistat fermentationi, nondum probatum est, actiuitas enim salium tunc non impeditur, sed promouetur & augetur. Nec ideo fermentatio reiici potest sanguinis, cum semel incepta continuari deberet, & alius humor semel fermentatus non denuo fermentesceret. Continuatio enim eius in sanguine omnino tamdiu conseruatur, quamdiu proportio talis manet, hinc etiam febris tamdiu durat, donec separatione, hinc & excretione, partium, eam inferentium, facta, sanguis priorem iterum recipiat proportionem. Priorem vero statum si acquisiuit sanguis, quid mirum, si denuo ad eum partes talem motum inferentes accedant, quod de nouo fermentatio repetat. Hoc autem in aliis humoribus extra corpus existentibus haud contingit, cum, fermentatione mutati, ita permaneant, nec pristinam proportionem iterum recipiant, vnde & denuo fermentari eodem modo non possunt.

§. XI.

Alii autem recentiorum fermentationem cum celeberrimo *Stahlio in Praefatione ad Dn. Iunckeri Conspect. Medic. Theor. Pract. p. 6.* in febribus pro subiecto seu vera materia morbida agnoscunt, adeoque in hoc nobis consentiunt, quod adsit fermentatio. Hanc ipsam veteres putredinem vocarunt, si paulo grauior sit. Sanguinis

autem præternaturalis fermentatio ab aliorum fluidorum fermentatione in eo differt, quod in fluidis aliis motus ille intestinus vnice a salium dependeat motu, in sanguine autem spiritus vitales, qui sanguinis motum vitalem efficiunt, tam salium actiuitatem augeant, quam ab ipsis salibus, actiuioribus redditis, afficiantur, vt motum acquirant maiorem. Et hoc ipsum occasionem præbuit, ut *Thom. Campanella* existimauerit, febris essentiam existere hunc spirituum feruorem, quem spontaneum putauit, ex intentione morbo oppositum.

§. XII.

Cum itaque particulæ salino-sulphureæ fermentatiuæ & rarefactiuæ inæquales eminentia sua proportionem massæ sanguineæ vitiatam reddant, hæ ipsæ causam mediatam proximiorem constituunt & fermentum febrile dicuntur. Ita autem appellantur, quia massæ sanguineæ remixtæ motum fermentatiuum exerunt, & eidem inferunt. Partes enim hæ salinæ acidæ & alcalicæ intermedio sulphure ita iunctæ sunt, vt motus ille, quem salia citare solent, sileat. Quando autem massæ sanguineæ miscentur, tunc ab ipsius sanguinis actiuitate, illud sulphur resoluitur & debilitatur, vt resistere salium motui amplius nequeat, vnde salia liberata in se inuicem & sulphur intermedium agunt, & sic fermentatio oritur, quæ per totam hinc massam sanguineam diffunditur, & propagatur. Adeoque mixtum hoc fluidum recte fermentum dicitur. Rarefactiuum autem dictum est in definitione, vt gradus salium sulphur fortius efferantium innuatur. Inæquale vero vna est, id est, ita se habens, vt sanguini destructionem magis vel minus intentet, hinc semper vel separatur ex sanguine & excernitur, vel, si id fieri nequeat, eandem destruit. Et

in

in hoc differt fermentum febrile a ſcorbutico & maniaco, vbi æqualis quaſi confermentatio, ſeu exaltatio ſulphuris, citra intentatam deſtructionem, adeoque naturæ magis tolerabilis, adeſt.

§. XIII.

Nullibi autem partes laudatas ſalino-ſulphureas deprehendimus, quam in ipſis humoribus in corpore exiſtentibus, bile nimirum ac lympha. Vnde bilis & lympha dicto modo vitiata fermentum illud ſunt. Et hoc eſt, quod *Hippocrates c. l.* intelligit, vbi dixit, cum bilis aut pituita calefacta fuerit, totum reliquum corpus ab his caleſcit. Facile autem patet, quod proportio illa ſalium alcalium & acidorum partiumque ſulphurearum, manente conditione fermentatiua, inſignem varietatem admittat, prout vel bilioſæ vel ſeroſæ, vel pituitoſæ, vel acidæ magis præpollent, & vel mitiores, vel actiuiores, exiſtunt, quod ipſum varietatem febrium quoque efficit inſignem. Oritur vero tale fermentum in ipſo corpore, vel ex alio corpore morboſo in ſanum infertur, illud conceptum, hoc illatum vocatur. In ipſo corpore oritur, ſi partes eiusmodi fermentificæ vel non ſeparentur, ſed retineantur, vel copioſius in corpus inferantur, vel partibus temperatis imminutis acuantur, vel vitioſo humorum motu, vt per animi pathemata vehementiora, vel ſtaſin humoribus inductam, iungantur & vniantur. Quæ autem hæc efficiunt, ſunt cauſæ mediatæ remotiores.

§. XIV.

Ex his occurrunt primitus naturales dictæ. Harum primum locum obtinet temperamentum, vbi deprehendimus, quod generatim temperamentum humanum, vt aliis morbis quamplurimis, ita & febribus, præ reliquorum ani-

mantium temperamentis, frequentiſſime ſit obnoxium. Hoc autem fit partim, quod per peccatum homo in ſe deriuauerit mortem, & morbos ad illam ducentes, partim ob prauam diætam, ſeu neglectum vſum rerum nonnaturalium, quo plerique febres inuitant, a quibus alias forent liberi. Speciatim autem temperamentum bilioſum, ſangineo-bilioſum, & bilioſo-melancholicum, cum actiuæ illæ partes iam ſecundum naturam abundent, & facilius augmentum vitioſum capere poſſint, promptius febri, inprimis acuta, tentatur, nec tamen reliqua a febri exempta ſunt, quæ alias facilius intermittentibus occaſionem præbent. Ætas quælibet quidem febri corripitur, facilius tamen iuuenilis ac virilis, ob temperamentum calidius. Nec alia ſexus eſt ratio, ſequior enim a febribus libera non eſt, melior autem frequentius hoc malum ſubit. Gracilior habitus, vt ſecundum naturam agiliores partes ſanguinis teſtatur, ita & habilitatis ad febres maioris eſt teſtimonium.

§. XV.

Nonnaturales cauſæ dictæ non minus occaſionem fermenti febrilis generationi præbent. Aer calidior ſerum blandum difflando, acriores reddit bilioſas partes, & harum actiuiorum euolutioni maiori fauet. Frigidior exiſtens ſecretionem & excretionem fermentatiuarum particularum impedit, vnde accumulantur. Vterque, ſubito alterum excipiens, vitioſam eiusmodi partium coniunctionem facile efficere valet. Cibus nimis copioſus, vt & difficulter reſolubilis, cruditatibus fermentatiuis fauet, acrior, aromaticus, copioſior & diu continuatus augmentum bilioſarum præſtat, quod & potus nimis ſpirituoſus & copioſus efficit. Motus nimius tum exagitationem nimiam

miam ſanguinis, tum ſeri difflationem maiorem poſt ſe relinquit, &, inprimis, ſubita refrigeratione ſubſequa, facit, vt acuatæ partes retineantur. Quies nimia ſecretionem neceſſariam impediendo, vigiliæ nimiæ ſiccando, vires abſumendo; animi pathemata grauiora ſpirituum & ſanguinis motum nimis agitando & turbando, inprimis ira & terror, anſam fermento præbent. Excernenda ſi retineantur, retinenda ſi excernantur, quo magis modum excedunt, eo promptius fermenti eiusmodi ortum promouent.

§. XVI.

Ex præternaturalibus cauſis inflammationes grauiores, inprimis internæ, ob ſanguinem refluentem per ſtaſin acriorem & fermentificum redditum; vlcera, interna maxime, ob purulentam acrem materiam abſorptam, & ſanguini remixtam; dolores grauiores ob agitationem ſpirituum maiorem; vulnera ob ſtaſin vna inductam, vt in inflammationibus dictis; ſcorbutus ob ſalia eminentia &c. fermento febrili producendo apta ſunt. Alio in corpore morboſo natum fermentum, malignum inprimis, ſano corpori inſinuatur per contagium vel mediatum vel immediatum.

§. XVII.

Cauſis, quantum noſtri ſcopi eſt, perſpectis, ſymptomata, quæ febris excludit, conſideranda reſtant. Ex his generalia & eſſentialia ſunt, horror maior vel minor, & hunc excipiens calor, & tandem pulſus celer. Horror fit, ſi ſanguinis motus inteſtinus ab accedente fermento peregrino, ob huius viſciditatem vel acidum figens iunctum, pro horum conditione, magis vel minus concentratur & minuitur, vnde membranæ ſenſiles frigus percipiunt. Intimiori vero ſubactione & reſolutione huius a ſanguine

facta,

facta, ſanguis non ſolum iterum caleſcit, ſed & partibus actiuioribus fermenti liberatis, & a ſanguine adhuc magis actuatis, calidior ſe ipſo fit ſanguis, rarefactiuis partibus vim ſuam in ſanguinem exerentibus, & inde fit calor ille maior.

§. XVIII.

Hanc veritatem iam dudum agnouit *Hippocrates c. l. text. 6. & ſeq.* Tonum ergo auctum in ſuperficie corporis cauſam horroris vel frigoris eſſe haud poſſe, exinde conſtare poteſt, quod liquor calidus quicunque, & hoc loco ſanguis, quacunque ratione prematur, minime refrigerationem inde ſuſcipiat, tactu vero doceamur non ſuperficiem tantum, ſed interiora quoque frigeſcere, & nulla ratio pateat, cur ſanguis a tali ſtrictura tam cito concentretur, vt pallor & auguſtatio vaſorum accedat, cum, niſi motus inteſtinus imminutus ſit tunc temporis, nulla ſtrictura id efficere valeat. Sanguinis autem concentratione dicto modo facta, ſequitur ſtrictura vaſorum & ſuperficiei, vt hinc effectus potius, quam cauſa, ſit. Sanguinis motus progreſſiuus per poroſas partes auctus caloris febrilis cauſa non eſt, niſi remotior. Licet enim motus progreſſiuus auctus calorem iam præſentem augeat, vt in motu vehementiori continuato videmus, non ſemper tamen eſt febrilis, ſed tum demum talis euadit, ſi proportio ſanguinis inde turbetur, vt, iam dicta ratione, eiusdem inteſtinus motus vitioſe auctus reddatur, hoc vero in toto præſente, progreſſiuus ſemper redditur citatior. Idem teſtantur inflammationes, in quibus calor præternaturalis eo magis augetur, quo magis progreſſiuus in parte impeditus eſt. Feruidiores autem partes per vaſa venoſa ad reliquum ſanguinem accedentes, in grauiori-

bus,

bus, & inprimis internis, inflammationibus, in toto ſanguine proportionem vitiando, talem calorem febrilem excitant, vbi poſtmodum & progreſſiuus fit velocior. Acriores enim fermenti partes, in apricum prodeuntes, vt alia rarefactiua, volatilia, acria, ſpirituoſa, motum inteſtinum augendo calorem maiorem, & quidem ob peculiarem proportionem, hoc loco febrilem, inferunt, vt iam dictum eſt.

§. XIX.

Celer pulſus in febribus rarefactum ſanguinem & acriorem ſequitur. Cordis enim & vaſorum fibrillæ irritantur a ſanguine ita conſtituto, imo ipſi ſpiritus maiorem motum citioremque euolutionem ac ſeceſſum ex ſanguine inde acquirunt, & hinc etiam impulſum cordis & vaſorum citatiorem præſtant. Impulſu cordis ac vaſorum citatiori reddito, neceſſario etiam progreſſiuus ſanguinis motus, cum ab illo dependeat, velocior redditur, & calorem iamdum auctum, adhuc maiorem efficit, vel ſaltim conſeruat. Quod ſi vero in malignis febribus ſpiritus & partes ſanguinis balſamicæ a fermento febrili magis cito vna deſtruantur & reſoluantur, citra calorem maiorem velocior, ſed vna debilior redditur pulſus, qui frequens dicitur.

§. XX.

Præter eſſentialia laudata ſymptomata, quæ actionum vitalium læſionem exhibent, poſteſſentialia etiam fiunt, & quidem ex vitalibus reſtat reſpiratio, quæ in febribus haud raro etiam magis vel minus difficilis redditur, partim, ob rarefactum nimis, vel grumeſcentem nimis, ſanguinem, partim ob ſpirituum defectum maiorem. Ex naturalibus actionibus læſis adeſt appetitus maiori vel minori gradu proſtratus, qui fit ob intemperatum vna ventriculum, defectum menſtrui apti, & defectum ac debilitatem ſpirituum,

qui paucioribus reliquis actionibus perficiendis vix sufficiunt. Sitis autem maior adest, nisi itidem magis maligna sit febris, si serum nimis diffletur, adeoque deficiat, feruor vero & ardor sanguinis, molestiam iis partibus inferat, quæ humidi deficientis assumptionem vrgent, etiam in naturali statu. Vomitus accedit, si acriores, salino-sulphureum stimulum habentes, partes ex sanguine ad ventriculi tunicam nerueam perferantur, irritationemque talem efficiant. Vrina tincta magis excernitur, si partes biliosæ rarefactæ secessum in viis vrinariis acquirant, minus tincta apparet secessu non facto, quod in malignis fit, & mali ominis est. Ex animalibus actionibus læduntur sensus in dolore capitis, tensionem & vellicationem sanguinis rarefacti, acris & stasin minitantis pro causa agnoscente; in lassitudine, quæ tensioni fibrarum musculorum, tam a rarefactione quam acrimonia molesta factæ, debetur; in vigiliis, quæ a defectu seri blandi, & continua spirituum, ob sanguinem acrem feruidum, agitatione proueniunt; in deliriis, quæ ob vigilias continuatas, & alias, ob enormius vitiatam temperiem, irregularem spirituum motum supponunt. Motus animalis læsus occurrit in virium deiectione, quæ itidem maior vel minor est, & inprimis spirituum defectum & imbecillitatem pro fundamento agnoscit. Et sic reliqua symptomata, quæ in febribus occurrere possunt, omnia ad suas causas, quæ intemperiem illam pro fundamentali habent, reducere licet.

§. XXI.

Differentia febrium optime ab earundem typo desumitur, qui a fermenti diuersa conditione, tam ratione loci, vbi hæret, quam ratione particularum id constituentium, dependet. Sunt itaque febres vel continuæ vel intermittentes.

tentes. Continuæ iterum ſunt vel ſimpliciter tales, quæ olim continentes dicebantur, vel periodicæ. Continuæ ſimpliciter tales ſunt, quæ ſemel ceptæ continuum habent decurſum, citra intermiſſionem vel exacerbationem per interualla factam. Et hæ vlterius ſunt vel primariæ vel comitatæ vel ſymptomaticæ. Primariæ exiſtunt, quæ alium morbum nec comitem habent, nec ab alio morbo ortæ ſunt; comitatæ, quæ vna cum alio morbo vel affectu iunctæ accedunt; ſymptomaticæ autem, quæ ab alio morbo originem trahunt.

§. XIV.

Ex continuis primariis aliæ ſunt leuiores, vt ephemera, ſynocha imputris, & eryſipelas; aliæ grauiores, vt ſynochus putrida, variolæ, morbilli, ardentes & malignæ; aliæ grauiſſimæ, vt febres peſtilentes & peſtis. Comitatæ comitem habent vel catarrhum, & catarrhales dicuntur, vel inflammationem, quæ generatim inflammatoriæ ſalutantur, ſpeciatim cum inflammatione faucium, angina, cum inflammationæ pleuræ, pleuritis, pulmonum, peripneumonia, &c. vel fluxum alui cum torminibus grauioribus, quæ dyſenteria appellatur. Symptomaticæ fiunt vel a vulnere, vulnerariæ dictæ, vel a ſcorbuto, ſcorbuticæ vel a partu difficili, febres puerperarum, ab vlceribus, vt hecticæ quædam &c.

§. XXIII.

Continuæ periodicæ exiſtunt, quæ quidem continuæ ſunt, ſed tamen per certa interualla exacerbationem exhibent. Hoc ſi fiat quotidie, quotidiana continua, ſi alternis diebus, tertiana continua, ſi quarto quouis die, quartana continua appellatur. Intermittentes tandem febres audiunt, quæ per certos ſaltim paroxyſmos ſe exerunt, intermedio vero tempore perfectam intermisſionem exhibent, atque hæ iti-

dem a tempore redeuntis paroxysmi vocantur quotidianæ, ſi quouis die paroxysmus accedat & deſinat, tertiana, ſi alternis diebus, quartana, ſi quarto quouis die id eueniat. Deprehenduntur aliquando etiam febres nullum certum typum ſeruantes, quæ ſpuriæ vel erraticæ nominari ſolent.

§. XXIV.

Simpliciter continuæ proueniunt a fermento in ipſa maſſa ſanguinea hærente & immanente per totum febris decurſum, vnde & ſine intermisſione eſt febris. Continuæ periodicæ vero ortum habent partim a fermento in ſanguine exiſtente, partim per certa interualla aliunde accedente, vnde exacerbatio dependet, ſeu paroxysmus repetens. Intermittentes autem ſupponunt fermentum alibi hærens, & per certa interualla ad humores vitales accedens. Continuæ primariæ fiunt, ſi hoc fermentum nec alium vna, præter febrim, morbum excludat, nec ab alio morbo prius præſente productum eſt. Comitatæ fiunt, ſi ita comparatum ſit hoc fermentum, vt vna præter febrim vel catarrhum, vel inflammationem &c. efficiat. Symptomaticæ autem, ſi morbus quidam præſens fermentum produxerit. Gradum febrium continuarum leuiorem facit minor actiuarum partium fermenti præſentia; grauiorem præſtant actiuiores fermenti particulæ eminentes, & quidem magis ſuperabiles non malignas, ſin autem talibus gaudeat partibus, quæ ſanguini reſolutionem & ſpirituum deſtructionem eminenter intentant, malignas præſtat; grauisſimus autem gradus ſummam actiuitatem deſtructiuam fermenti ſequitur.

§. XXV.

Intermittentes febres focum in glandulis inteſtinalibus habent, concurrentibus partibus vicinis. Vnde primis hiſce in viis paratum fermentum per certa interualla

medi-

n ediantibus vafis lacteis maffæ fanguineæ communicatur. Ordinatam autem huius productionem fieri, pulfuum æqualitas & humorum determinatus motus probant. Quod vero in maioribus & minoribus fubiectis idem tempus obferuetur, facit refpondens proportio fimilis, vt horologium maius & minus eandem temporis abfoluit menfuram, non obftante magnitudine diuerfa. Nec infirmam hanc affertionem reddit, quod paroxyfmus mitior & grauior idem tempus feruet. Quantitate enim eadem licet præfente fermenti, qualitas tamen eiusdem mitior vel acrior effe poterit, vnde per idem tempus durare valet leuior & grauior paroxysmus. Qui vero animæ rationali ordinatum paroxyfmorum reditum tribuunt, nondum probarunt, nec probare poterunt, poffe animam rationalem tempus eiusmodi accurate determinare. Experientia enim conflat, fi machinis temporis menfuram monftrantibus careamus, quod mirum quantum in obferuando temporis certo tractu fallamur, licet omni ftudio id præftare velimus. Imo rationale haud effet, fi motum maiorem & diuturniorem inftitueret anima, quam materiæ quantitas & qualitas poftularet, fi vel maxime certum effet, quod illum efficeret, adeoque tamen fermenti conditio dicta occafionem præberet. Eodem modo fe res habet, in continuis periodicis, quæ fimili modo exacerbationem obtinent.

§. XXVI.

Ad accidentales febrium differentias pertinent, quæ a conditionibus variis defumuntur. Ratione durationis breues dicuntur, quæ breui definunt, citraque periculum funt, vt ephemeræ; acutæ, quæ breues & vehementes & periculofæ. Et harum tres gradus funt, acutæ fimpliciter, quæ ad decimum quartum vel vigefimum diem perfiftunt, peracutæ,

quæ die ſeptimo terminantur, acutisſimæ, quæ tertio vel quarto die finiuntur, vt peſtis &c. Chronicæ autem ſunt, quæ diutius durant, vt hectica, quartana &c. Ratione moris ſunt vel benignæ, quæ periculum vitæ haud adferunt, vel malignæ, quæ inſidioſæ & periculoſæ ſunt. Ratione cauſarum externarum communium tranſeuntium ſunt epidemicæ; ob easdem conſtantes in loco certo oriuntur endemiæ; a cauſis particularibus in indiuiduis ortæ ſporadicæ dependent.

§. XXVII.

Decurſus febrium in quatuor tempora, vt aliorum quoque morborum, diuiditur. Principium earundem eſt, horroris vel, ſi hic abſit, caloris acceſſus; incrementum, quamdiu ſymptomata ſuperius dicta augentur; ſtatus, ſi ad ſummum gradum peruenerint, nec incrementum amplius capiant; declinatio, ſi a morbi imminutione ſymptomata minuantur & tandem ceſſent, vnde declinatio in iis ſaltim habet locum, vbi euentus ſalutaris ſequitur.

§. XXVIII.

Febres præſentes ex ſymptomatibus eſſentialibus ſuperius recenſitis, hinc & poſteſſentialibus, vt & cauſis prægresſis manifeſtis, hæc enim ſigna vna conſtituunt, cognoſcuntur. Qualis autem febris ſit, tum ſymptomatum conditio, tum typi ratio, vt & reliquæ circumſtantiæ præſentes, innuunt, quod ad ſpecialiorem tractationem pertinet.

§. XXIX.

Euentus febrium eſt vel ad ſalutem, vel ad mortem. Ad ſalutem terminatur febris, ſi maſſæ ſanguineæ proportio in tantum ſaltim vitiata reddatur, vt & perſiſtere vita, & redire illa ad priſtinum ſtatum queat, & hoc fit in febribus leuioribus, benignis, vt & intermittentibus. Ad mortem

autem febris perducit, si adeo massæ sanguineæ proportio turbetur, vt vel spiritus destruantur, vel sanguis & serum resolutionem, vel coagulationem, subeant nimiam, vnde necessario vita perit. Id vero cognoscitur ex febris specialis præsentis idea, virium præsentia vel absentia, symptomatum grauiorum vel leuiorum conditione, fermenti febrilis faciliori vel difficiliori separatione & secretione, quod coctionis signa ostendunt, subiecti, causarum, reliquarumque circumstantiarum obseruatione. Patet vero vna, quod illi, qui actum naturæ salutarem vocant febrim, nobis haud contradicant, si contendant, neminem febri mori, illi enim per febrim non intelligunt morbum, sed actiuitatem corporis viuentis in febri residuam, vt ex superius dictis patet.

§. XXX.

Tempus euentus species febris ostendere solet, prout vel breuis vel acuta vel chronica est, quod a fermenti febrilis quantitate & qualitate diuersa dependet Modus euentus ad salutem fit separatione & secretione fermenti peregrini, quæ fit vel insensibiliter per transspirationem insensibilem, vel manifeste magis & quidem vel perfecte per excretionem copiosiorem vel sanguinis, vel sudoris, vel vrinæ, aliquando, & alui, vel imperfecte, decubitu prius in alia quadam parte facto, vt in variolis &c. vlterius hinc seretione contingente. Ad mortem vero febres tendunt resolutione & destructione massæ sanguineæ, vt paulo ante iam diximus.

§. XXXI.

Curatio febrium generatim absoluitur primo fermenti peregrini eliminatione conueniente, deinde reliquæ massæ sanguineæ proportionis restitutione & conseruatione, & tandem causæ fouentis correctione ac symptomatum vrgentium mitigatione. Eliminationem fermenti omnium optime & inprimis præstant bezoardica & diaphoretica, quæ vel volatilia sunt, vel media, vel fixa. Media vbique locum habent, fixa tum mediis tum volatilibus interponi debent semper. Volatilia autem tunc saltim vtilia sunt, si deficiat motus debitus & separatio, vnde interdum saltim, indicatione præsente, vsurpanda, quandoque etiam statim

in principio effectum laudabilem edunt, continuari autem neutiquam debent, ne efferatio ſanguinis reddatur maior. Eliminationem etiam promouent, quæ reliquis indicationibus ſatisfaciunt.

§. XXXII.

Proportionem maſſæ ſanguineæ reliquam conſeruant & reſtituunt partim, quæ partes bilioſas rarefacientes temperant & corrigunt abſorbendo, abſorbentia, diaphoretica & bezoardica fixa; figendo, acidula, nitroſa; demulcendo, gelatinoſa & ſulphureo-aquea, vt emulſiones; diluendo, aquea; partim, quæ ſerum deficiens blandum reſtituunt, potus temperatus ſufficiens, aquea dicta, & in his decoct. hord. c. C. C. & ſcorz. herb. Thee iuſcula auenacea, &c.

§. XXXIII.

Cauſam fouentem corrigunt cuilibet oppoſita. Hinc, ſi ſit plethora, reliquaque conſentiant, venæ ſectio vtilis eſt. Si cacochymia adſit, blanda emetica & purgantia, ſed prouide & rarius vſurpari debent, & magis in principio; rarius in continuis, magis in intermittentibus. Si vulnus, inflammatio, aliaque foueant, ſi obſtructio glandularum inteſtinalium fomitem præbeat, his debito modo ſuccurrere debemus. Symptomatibus vrgentibus, ſiti nimiæ, vigiliis, doloribus, deliriis, motibus conuulſiuis & reliquis ex ſuis loculis ſatisfieri debet.

§. XXXIV.

In diæta aer temperatus nec frigidus nec nimis calidus, victus tenuis, quies, ſomnus proportionatus, abſentia affectuum animi grauiorum, & legitima ac proportionata excretio per vias conuenientes, vtilia ſunt, contraria nocent. Omnia hæc, quæ dicta ſunt, breuiter ſaltim delibare voluimus, cum, ſi omnia exacte proſequi vellemus, non diſſertationem, ſed tractatum deberemur conſcribere, quod nec propoſiti, nec temporis, ratio iam permittit.

SOLI DEO GLORIA!